

274.

1232 d. 2 Nov.

Anagni.

Påfv. GREGORIUS IX:s Bref till Ärke-Biskopen i Upsala rörande manens beläggande med en lindrigare bestraffning, enär under hans frånvaro inträffade att hustrun förvarst sitt barn.

A. 1. d. 21.

GREGORIUS episcopus seruus seruorum dej. Venerabilj fratrj . . Archiepiscopo Vpsalensi. Salutem et apostolicam benedictionem. Per tuas nobis litteras intimasti. quod sepe contingit aliquos pueros in diocesi tua ex matrum negligentia patribus absentibus suffocari. Quare utrum patribus qui presentes non fuerint, ex hoc sit penitentia iniungenda. apostolice sedis oraculum implorasti. Nos igitur in hac parte sic tibi duximus consulendum. quatinus talibus penitentiam leuem iniungas. ut per uiros uxorum negligentie leuius re-leuentur. Datum. Anagnie. IIII. Non. Nouembbris. Pontificatus nostrj Anno Sexto.

Blybullan vidhänger i segelgarnssnöre.

275.

1232 d. 2 Nov.

Anagni.

Påfv. GREGORIUS IX:s Bref rörande 40 dagars aflat för de botfärdiga, som besöka S:t Lars kyrka i Upsala.

A. 1. a. 14. B. 2: 214.

GREGORIUS episcopus seruus seruorum dej. Uniuersis christi fidelibus ad quos littore iste peruenerint. Salutem & apostolicam benedictionem. Quoniam ut ait Apostolus omnes stabimus ante tribunal christi recepturj prout in corpore gessimus, siue bonum fuerit siue malum. oportet nos diem messionis extreme, misericordie operibus preuenire. ac eternorum intuitu seminare in terris, quod reddente domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in celis. firmam spem fiduciamque tenentes. quoniam qui parce seminat parce et metet. et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet uitam eternam. Hinc est utique quod vniuersitatem uestram rogamus & hortamur attente. quatinus cum ecclesias dei debeant visitare fideles ut idem in cuius nomine sunt. constructe. ipsorum memor existat. ad ecclesiam Vpsalensem titulo beati Laurentij Martiris insignitam in festo ipsius petiturj eius suffragia in contritione cordis & lenitate animi accedatis. ut per hoc. & alia bona que domino inspirante feceritis. possitis ad eterne felicitatis gaudia peruenire. Nos igitur de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petrij et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi. omnibus qui ad ecclesiam ipsam in eodem festo causa deuotionis accesserint. Viginti, dies de iniuncta sibi penitentia relaxamus. Datum Anagnie. IIII. Non. Nouembbris. Pontificatus nostrj Anno Sexto.

Blybullan vidhänger i gula och röda silkestrådar.